



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

II. De differentia propriisma in ordine ad genus quod contrahit, & speciem
quam constituit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

3 Dices, sicut homo essentialiter differt ab equo per rationale, sic homo albus differt accidentaliter ab homine nigro per albedinem: ergo utraque differentia conveniunt in hoc quod est facere differre, etiam si differant ex eo quod una faciat differre essentialiter, & alia accidentaliter. Respondeo negando antecedens, quia in hoc quod est facere differre accidentaliter, illud accidentaliter non solum est additum importans modum specialem faciendi differre, sed destruens rationem communem faciendi differre, quia differre accidentaliter non est simpliciter differre, aut esse aliud, quia idem à se ipso potest constitui accidentaliter differens per accidens superadditum, & nunquam potest aliquid fieri aliud à se ipso.

4 In istis, sicut est essentialiter differentia propriissima facere differre essentialiter, sic est essentialiter differentia communis, aut proprie facere differre accidentaliter: ergo omnes conveniunt in hoc quod est facere differre. Eodem modo posset argui: sicut est essentialiter homini vero esse hominem, sic est essentialiter homini picto esse hominem pictum: ergo conveniunt univocè homo vivus, & homo pictus in ratione hominis. Respondeo ergo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia id, quod est essentialiter differentia communis, & proprie non est simpliciter facere differre, quia accidentaliter differre, ut saepe dixi, non est absolute, & simpliciter differre.

5 Aduertas tamen albedinem, quæ est differentia accidentaliter respectu subiecti posse concipi ut constituens hoc concretum album formaliter ut album, & ut contentum sub conceptu communi colorati, quod diuiditur in album, & nigrum tanquam in species oppositas, & tunc non se habere tanquam differentiam accidentalem, sed ut essentialiter essentialiter constituentem hoc concretum album, quod formaliter sumptum specie differt ab hoc concreto nigro etiam formaliter sumpto, utrumque enim respicit coloratum tanquam genus, quod de illis tanquam de propriis speciebus predicatur his predicationibus, album est coloratum, nigrum est coloratum.

PUNCTUM II.

De differentia propriissima in ordine ad genus quod contrahit, & speciem quam constituit.

1 Spponendum est ex Aristotele 10. Metaphysic. cap. 5. & D. Th. 1. p. q. 9. art. 1. ad 3. ea dici differre, quæ in aliquo conveniunt. Vnde hoc est discrimen inter diuersum, & differens, nam vnumquodque ens per se est diuersum ab alio, siue cum illo in aliqua ratione conveniat, siue non conveniat: differens vero solum dicitur illud, quod in aliqua ratione convenit cum illo, à quo differens est. Sic homo ab equo differre dicitur, quia cum illo convenit in ratione animalis. Ex hoc constat differre vnum ab alio nihil aliud esse, quam ab illo separari, & distingui, vnde ratio illa, quæ cognita separantur, & distinguuntur differentia dicitur. Est ergo munus faciendi differre, separare, & diuidere ea, quæ erant unita, & coniuncta. Vnde actus differendi erit destructio unionis quæ erant intentionaliter vnum ea, quæ plura intentionaliter sunt. Ex his manifestè euincitur actum faciendi differre non existere à parte rei independentem ab intellectu, & à forma intentionali diuidente ea, quæ in ratione superiori erant vnum. Ratio est, quia unitas vniuersalis, seu generis est intentionalis, quæ non opponitur cum diuisione reali (reale voco, quod intentionaliter opponitur) quia existentibus obiectis quantumuis in se diuisis possint esse vnum, & non plura intentionaliter: ergo unitas intentionalis diuisioni reali non opponitur.

2 Ex his manifestè deducitur quid sit genus contrahi ad species, seu in illas diuidi, quia cum unitas generis consistat in cognitione confusa omnium specierum instar vnus obiecti, diuisio consistit in cognitione expressa, seu non confusa eorundem, quæ ut plura & inter se distincta apprehendantur obiecta illa, quæ ex vi cognitionis confusæ erant unita in ratione communi. Ratio est, quia diuisio nihil aliud est quam existentia extremorum, & carentia unionis, cum verò extrema existere intentionaliter sit cognosci, & esse unita sit cognosci confusè: ad hoc ut existant debent cognosci, & ad hoc ut non habeant unitatem, quam tollit diuisio, debent non cognosci confusè, vnde

diuisio necessariò dicit cognitionem non confusam extremorum, quæ est cognitio distincta, seu ex vi cuius extrema distinctè cognoscuntur.

3 His prædictis fundamentis facile erit dissolvere questionem inter nonnullos acriter exagitatam, An videlicet munus faciendi differre sit reale, vel rationis; cui respondendum est esse reale prout opponitur ficto, seu chimærico, non reale prout opponitur intentionali, consistit enim in actu intentionali, seu in cognitione, ex vi cuius apprehenduntur distinctè illa, quæ confusè instar vnus fuerant præconcepta. Quotve actus intercedant in contractione generis, & diuisione eiusdem, & constitutione speciei, & quomodo ex genere, & differentiâ species constituitur, qui inter omnes actus, ex vi quorum hæc fiunt, inter se differant, iam explico.

4 Dico primò, differentiam constituere speciem simul cum genere, seu differentiam constitui ex genere & differentia dicere triplicem cognitionem, duplicem præsuppositiue, & aliam formaliter: hæc sunt cognitio quædam, ex vi cuius cognoscatur animal abstractum ab homine, & præcisum ab animali, & vltima ex vi cuius cognoscatur animal, & rationale confusè instar vnus obiecti indiuisibilis, in hoc obiecto homo quod formaliter est species constituta ex genere & differentiâ iam præcognitis, sicuti totum ex partibus, quæ ad ipsum supponuntur, & in quas potest resolui. Speciem constitui importare duplicem actum, quorum vnus terminetur ad animal secundum se, & alter ad rationale secundum se sic probo. Implicat dici totum constitutum ex partibus absque eo, quod partes præcedant illud ut constitutum: ergo implicat constitui speciem absque eo, quod præcedant partes vt inter se distinctæ: sed hæc sunt animal vt præcisum à rationali, & rationale vt præcisum ab animali: ergo debent hi conceptus præcisi præcedere constitutionem speciei. Posteriores conceptus includi in speciei constitutione facilius probatur: constitutio speciei terminatur ad speciem, quæ dicitur constituta: sed species constituta dicit conceptum quandam obiectum, in quo natura generica, & differentialis apprehenduntur vt vnum absque vlla ipsorum distinctione, vt patet in conceptu hominis, qui dicit animal, & rationale representata in hoc conceptu indiuisibili homo absque vlla distinctione, neque præcisione inter animal, & rationale, ergo speciem constitui dicit ipsam cognosci confusè includentem absque vlla distinctione naturam generis, & naturam differentia; per modum vnus obiecti etiam intentionaliter indiuisi.

5 Ex hac conclusione infero extrinsecum esse huic conceptui homo esse constitutum speciei ex genere, & differentia, ex eo enim quod illum præcesserint duo conceptus distincti, vnus generis præcisi, & alter differentia præcise, dicitur constitutus speciei, seu constituens speciem, quam denominationem non haberet, si duo illi conceptus non præcessissent, etiam si intrinsecè esset idem.

6 Infero similiter speciem intrinsecè non esse formaliter compositam, sed tantum extrinsecè, seu virtualiter, quatenus extra conceptum speciei se habent vt formalitates distinctæ, & vt genus, & differentia illa, quæ in specie nullam compositionem habent, sed instar vnus indiuisibilis obiecti representantur. Ratio est clara: compositio formalis dicit distinctionem formalem extremorum, ex quibus fit compositio: sed species intrinsecè tantum dicit simplicem conceptum hominis, quin in illa significantur partes formaliter distinctæ: ergo in specie nulla potest reperiri intrinseca compositio. Dicitur autem extrinsecè, seu virtualiter composita, quia extra illam id, quod formaliter est simplex conceptus potest per intellectum in duos secari, & resolui in duos formaliter distinctos, id enim quod formaliter dicit homo confusè, & identificatum, seu non distinctum intentionaliter, præcessit distinctum, & diuisum intentionaliter in conceptibus generis præcisi, & differentia præcise, in quos potest iterum resolui.

7 Dico secundò: Per eodẽ actus, per quos constituitur species ex genere, & differentiâ, per eodẽ contrahitur genus ad speciem per differentiam. Ratio est, quia per actus, quibus species constituitur ex genere, & differentia, genus quod extra speciem erat totum potentiale & vniuersale respectu omnium specierum, constituitur intra hæc speciem identificatum cum rationali, ex vi cuius non potest iam contractum se extendere ad equum, vel leonem: ergo constituitur contractum, etiam diminuta, seu destructa illius

illius vniuersalitate, ex vi cuius indifferens erat ad omnes species, etiam ad vnam tantum determinatum.

8 Dico tertio: Neque genus formaliter vt genus in ipsa contractione contrahitur per differentiam, neque differentia formaliter vt differentia in eadem contractione contrahitur genus. Vtriusque partis conclusionis ratio est eadem: genus formaliter vt genus dicitur conceptum animalis vt distinctum à rationali, & rationale formaliter vt differentia dicitur conceptum rationalis vt distinctum ab animali. Sed in actuali contractione generis per differentiam rationale, & animal cognoscuntur in itar vnus simpliciter obiecti absque vlla distinctione formalitatum: ergo neque animal retinet in ipsa actuali contractione rationem generis, neque rationale rationem differentie: ergo neque genus vt genus intrinsecè contrahitur, neque differentia vt differentia intrinsecè contrahitur. Dixi non contrahi intrinsecè genus, neque vt genus formaliter in ipsa contractione, quia genus extra contractionem formaliter vt genus extrinsecè contrahitur, cognitio enim speciei, seu illius constitutio est contractio generis cogniti formaliter vt genus per aliam cognitionem, quæ supponitur ad vltimum conceptum, per quem vltimò dicitur species constituta. Eadem ratione differentia vt differentia extrinsecè contrahitur genus, quia licet in ipsa contractione non sit formaliter vt differentia, sed inuoluta in specie cum genere, tamen ad hanc contractionem supponitur vt distincta à genere, & formaliter vt differentia potens genus contrahere in conceptu speciei, in quo perdit rationem formalem differentie.

9 Dico quarto: Idem formaliter est genus contrahi per differentias oppositas, ac diuidi in species differentes, quia animal quod apprehendebatur per modum vnus diuiditur per diuersas contractiones, veluti in partes diuersas, videlicet in species, respectu quarum erat totum potestatum. Ex hoc inferes genus non diuidi quando contrahitur per vnam tantum differentiam, quia diuisio est partitio rei in partes diuersas. Sed quando animal contrahitur tantum per rationale ad vnam hominis speciem, non partitur in partes diuersas: ergo non diuiditur. Probo minorem. Quando genus, v.g. animal contrahitur tantum per vnam hominis differentiam rationale ad hanc speciem homo species ista non habet aliam partem, in quam simul, & in illam possit dici genus diuisum tanquam totum in partes: ergo non dantur extrema distincta, quæ sint membra diuisa, quæ dicitur essentialiter diuisio. Dicitur ergo diuisio generis saltem duplicem illius contractionem in species oppositas, & quando per vnam tantum contrahitur, non datur diuisio, sed tantum cognoscitur pars quædam generis per expressiorem conceptum nullâ aliis compartis mentione factâ.

10 Dico quinto: In compositione metaphysica speciei, genus & differentia extrinsecè tantum, & non intrinsecè reperiuntur. Ratio prædicta adest: compositum eatenus requirit partes, quatenus est compositum: sed species cum secundum se, & intrinsecè tantum sit simplex conceptus, videlicet homo intrinsecè non est compositus: ergo intrinsecè non includit partes. Dicitur autem species extrinsecè composita, & extrinsecè habere partes, quia etsi formaliter in se sit indiuisibilis, & per modum vnus simplicissimi obiecti representetur, continet tamen in illo simplici conceptu, ea, quæ aliis fuerant diuisa, ac proinde tantum est compositum quasi negatiuè, quia licet habeat in se conceptus, qui antea fuerant diuisi, & ob hanc rationem illius partes dicantur, iam conceptus illi nullam diuisionem, neque distinctionem retinent in ipsa specie inclusi, sed in vnam simplicissimam entitatem intrinsecè omnis compositionis expertem conspirant.

11 Vltimò aduerto diuisionem animalis in animal rationale, & animal irrationale, in qua quodlibet membrum diuidens dicitur duplicem conceptum, vnum naturæ genericæ, alterum differentialis non esse diuisionem generis in species, sed subiecti in accidentia. De rationem; species vt sæpe dixi non dicitur duplicem conceptum, sed vnum simplicem, in quo adunantur conceptus generis, & differentie: ergo hoc complexum animal rationale non est species: ergo quando diuiditur animal in animal rationale, & animal irrationale, non diuiditur in species. Dicitur diuidi tanquam subiectum in accidentia, quia respectu generis secundum se sumpti, videlicet animalis differentie accidentaliter se habent, animal enim secundum se indif-

ferens vt coniungatur cum rationali, vel cum inipabili accidentaliter coniungitur cum rationali, quod adæquatè est extra illius conceptum metaphysicè loquendo. Dicuntur ergo solummodò diuisiones generis in species illæ, quibus animal secatur in hominem, & brutum, elementum in ignem, terram, aquam, & ærem, & alia huiusmodi. Doctrinam hanc ex Porphyrio tradit Fonseca quem retuli in Summul. Controu. 2. Punct. 2. p. 5.

Obiicies: rationale est accidens respectu animalis: ergo hoc complexum animal rationale est concretum accidentale: ergo non potest esse hominis definitio. Prior consequentia fixa est, posteriorem proba. Homo est compositum substantiale: ergo non potest conuertere cum concreto accidentali: ergo non potest esse illius definitum, quia definitio, & definitum debent conuertere. Concedo priorem consequentiam, & nego posteriorem, ad illiusque confirmationem dico rectè posse conuertere compositum substantiale cum concreto accidentali metaphysico, cuius vtræque pars sit essentialis composita, & illa quæ per modum formæ significatur, consideretur in itar accidentis respectu aliis compartis, cui superuenit.

CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Obiicit quidam negare intrinsecam compositionem in specie esse contra communem apprehensionem sapientium. Respondeo primum sapientem, qui contra conclusionem, quam tradidi aliquid dixerit, esse hunc, qui me impugnare intendit. Deinde sapientes omnes distinguere conceptum hunc homo ab hoc conceptu animal rationale, ex eo, quod prior sit simplex, & posterior compositus, idè hic à conceptu vniuersali, & speciei excluditur, & ille conceptus vniuersalis, & speciei constituitur, iuxta omnium sententiâ, qui vniuersale vnum debere esse affirmant.

Obiicit idem secundum communem Theologorum, & D. Thomæ sententiâ Deum non esse speciem. Respondeo; id verum esse, sed non ad rem: Deum enim non esse speciem est quia hunc conceptum Deus non possumus diuidere in hunc Deum, & illum Deum, seu in plures Deos, sicuti hunc conceptum homo possumus diuidere in hunc hominem, & illum hominem, seu in plures homines numero differentes.

Rursus arguit; eandem compositionem extrinsecam, quam nos cum specie constitutum reperiri in supremo genere, & differentia infima. Respondeo: hoc esse omnino falsum, imprimis enim hic conceptus ens, quem aliqui affirmant esse supremum genus vniuersè conueniens substantiæ, & accidenti, non potest duplici alio conceptu significari. Deinde in opinione negante hunc conceptum ens esse genericum, & asserenti hunc conceptum substantia esse supremum genus, conceptus iste non potest diuidi in duos alios adæquatè distinctos, quia in conceptu differentie includitur conceptus entis propter transcendentiam, quod aliter euenit in hoc conceptu homo, qui partiri potest in hos duos Animal, Rationale inter se adæquatè distinctos absque mutua, seu non mutua inclusione vnus in alio. Idem patet in conceptu vltimæ differentie singularis v.g. Petreitas, qui non potest in duplicem alium, siue intrinsecè, siue extrinsecè partiri, & in vltima, seu iustissima differentia vniuersalis, v.g. rationale, quæ non potest subdiuidi in duplicem alium conceptum vniuersalem.

Vltimò arguit: conceptus generis, & differentie non esse fictos pro libito, sed in specie adunatos reperiri. Id ego affirmo, conceptus hos in specie adunatos reperiri, in specie representatos per modum vnus simplicis entitatis absque vlla compositione intrinseca; conceptus enim animalis, & conceptus rationalis reales sunt, & omne quod includit vtrumque, reperitur in hoc conceptu homo, quia tamen representatur animal, & rationale in hoc conceptu homo per modum vnus simplicis entitatis nulla apprehensa distinctione inter rationale, & animal, in illo non reperitur intrinseca compositio, quæ stare non posset bene partibus inter se distinctis realiter, si compositio realis sit futura, & intentionaliter, vel per rationem, si de compositione intentionaliter, seu per rationem agatur.

Procedit eodem prorsus modo hæc doctrina siue præcisio tantum formalis, siue obiectiua tantum inter gradus vniuersales admittatur, vnde abs re omnino hic Author questionem hanc mouetur ad probandum dari præcisiones obiectiuas, de quo iterum cum eo conféro.